



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Vtrum matrimoniu[m], ut est in officium naturæ, non solùm lege &
institutione divinâ, sed etiam jure naturæ, indissolubile sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

turam matrimonii, ut disp. 1. art. 3. ostensum est: A
Ergo & a fortiori dissolutio matrimonii. Con-
sequenter probatur, primo quia dissolvere ma-
trimonium, est omnino ipsum destruire, cum
essentialiter consistat in nexu; at vero secundum
uxorem primæ superinducere, non est destrue-
re matrimonium. Secundum, pluralitas uxorum si-
mul idem est contra naturam, quia adversatur fi-
ni secundario naturæ in matrimonio, ut loco ci-
tato fuse declaravimus: Atqui similiter, & multo
magis, solutio matrimonii adversatur fini secun-
dario ejus, imò & primario, ut constabit ex di-
cendis probatione sequenti: Ergo multo magis
est contra naturam matrimonii.

Demum eadem prima pars nostræ conclu-
sionis probari potest ex D. Thoma hic quæst. 67
art. 1. ubi sic dicitur: *Matrimonium ex intentione
ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod
tempus, sed per totam vitam prolis, unde de lege naturæ
est, quod parentes filius thesaurizent, & filii parentum
heredes sint, & ideo cum proles sit commune bonum viri
& uxoris, oportet eorum societatem perpetuam manere in-
divisam, secundum legem naturæ dictam, & sic insepa-
rabilitas matrimonii est de lege naturæ.*

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio,
hoc dicitur: Matrimonium est contractus inter
marem & feminam, sua naturæ ordinatus ad
prolis procreationem & educationem: Sed con-
jugum inseparabilitas ad hujus finis consecutio-
nem necessaria est: Ergo matrimonium ex na-
tura sua exigit conjugum inseparabilitatem. Ma-
jor patet, Minor probatur. Perfecta procreatio
& educatio prolis tria exigit, nempe certitudi-
nem ex parte patris, cui potior incumbit cura
prolis: educationem & instructionem quoad vi-
tam & mores, cum enim homo animâ & corpore
constet, ad perfectam sui educationem, non
solum requiritur alimentum corporis, sed etiam ani-
mi, per diligentem morum instructionem. Item
ad perfectam prolis educationem requiritur,
filii succedant parentibus quoad bonam fortunam
& quod parentes thesaurizent filiis; præsertim
cum proles, ut pars a parentibus decisa, a naturâ
ordinetur ad suos progenitores, quoad fieri po-
test, perfectè representandos, & parentes quoad
similitudinem speciei conservantur in filiis: Sed
ad hæc tria conjugum inseparabilitas necessaria
est: conjugis enim separatio, vel reddi prolem
incertam, si uxor v.g. post copulam carnalem cum
marito, alteri nubat, tunc enim nequit certo sciri
an nata proles sit prioris vel posterioris viri; vel
impedit perfectam prolis instructionem aut e-
ducationem; destituta enim ab uno parente, non
ita perfectè instruitur ab altero; cum multa sint
quibus proles eget ex parte patris, & plura qui-
bus indiget ex parte matris, quæ non tam bene
suppleri possunt ab eo ad quem proles non per-
tinet; ut experientia quotidiana docet in prole,
quæ altero parente mortuo, transit sub cura no-
veræ, vel vitrici. Unde ut notat D. Thomas 3.
contra Gent. cap. 123. aves illæ ad quarum pro-
lem educandam requiritur utriusque parentis o-
pera, tandum commanent simul, quoad utiq; pro-
les sit perfectè educata, & instructa, ut sibi ipsa
valeat de necessariis providere. Demum nisi pa-
ter & mater simul commanent, non possunt ita
commode filius thesaurizare, nec tantam divi-
tiarum copiam, quam filius hereditario jure re-
linquant, congregare: Ergo, &c.

Ex his probata manet secunda conclusio
pars, quæ assertit, matrimonium post consumma-

tionem, majorem jure naturæ exigere indissolu-
bilitatem: Dissolutio enim matrimonii, per se ejus
confirmationem, primò facit injuriam proli,
quæ per carnalem conjugum copulam, jus ac-
quirat ad sui procreationem, in ipso scilicet in ma-
trimonii copulâ proleminato, & ad sui educa-
tionem, si jam factus in uxoris utero sit efforma-
tus. Secundò per illam gravis irrogatur injuria ux-
ori, quæ dehonora dimittitur; unde S. Thomas
3. contra Gent. cap. 123. *Siquis (inquit) mulierem
assumens tempore juvenutis, quo & decor, & secunditas
ei adsunt, eam dimittere possit, postquam astate provecta
fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquo-
ritatem. At neutram injuriam includit matrimo-
nium, nondum carnali copulâ consummatum;
non conjugis dehonora, cum nondum sit carna-
liter cognita; nec prolis, cum nullum ante carna-
lem copulam jus acquisierit; nam primò illud ac-
quirat per semen ejus, lumbris parentis decusum,
quod est ipsa prolis inchoatio: Ergo majorem
indissolubilitatem exigit jure naturæ matrimo-
nium consummatum, quam ratum.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò: Omnes res per quas cumque
causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut di-
citur in jure: Sed vinculum matrimonii nascitur
ex mutuo contrahentium consensu: Ergo per
eundem consensum dissolvi potest, atque adeo
non est ex natura sua insolubile.

Confirmatur: Alii contractus humani & ci-
viles, ex mutuo contrahentium consensu dis-
solvuntur: Ergo & contractus matrimonialis.

Ad objectionem respondeo, Majorem esse
veram duntaxat in iis rebus quæ ex natura sua
sunt solubiles, & quarum dissolutionem non sibi
reservavit superior; de quarum numero nega-
tus esse contractum matrimonii, se habet enim
quemadmodum anima rationalis, quæ licet nun-
quam producat, nisi cum aliqua dependentia
ab agente naturali, postea tamen ab eo corrupti-
pi non potest, quia ex natura sua incorruptibilis
est.

Ad confirmationem, concessio Antecedente,
nego consequentiam & paritatem, hoc enim in-
ter matrimonium & alios contractus intercedit
discrimen, quod illi, cum non ordinentur ex na-
tura sua ad aliquem finem, qui requiratur insolubi-
litate, ex natura sua possunt dissolvi; at vero
contractus matrimonii, ordinatur ad aliquem fi-
nem qui requirit insolubilitatem ex natura sua,
nimirum ad prolis procreationem & educatio-
nem, ad quam conjugum inseparabilitas neces-
saria est, ut in ultima probatione declaravimus.

Obijciens secundo: Papa non potest dispensare
in his quæ sunt de jure naturæ: Sed matrimoni-
um ratum, non consummatum, potest Pontifici a
uctoritate dissolvi: Ergo saltem matrimonium ra-
tum non est jure naturæ insolubile. Major vide-
tur certa, Minor vero probatur ex facto plurimum
Summorum Pontificum, qui in matrimonio ra-
to dispensarunt, ut de Martino V. Eugenio IV.
Paulo III. Julio III. Paulo IV. Gregorio XII.
referunt Covarruvias 4. decret. part. 2. cap. 7. pa-
ragr. 4. Henriquez lib. 11. cap. 8. & Navarrus in
Summa cap. 22. qui addit suo tempore Paulum
III. & Pium IV. ter vel quater dissolvisse qua-
dam matrimonia clandestinè contracta, non ad

¶

con-

consummata. Suarez etiam tomo 3. de relig. lib. 9. cap. 24. ait sibi ex proprio diplomate constituisse, Gregorium XIII. in matrimonio rato dispensasse inter conjuges qui suo tempore vivebant. Demum Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 1599. num. 4. refert ita iudicatum fuisse ab octo Cardinalibus, & aliis delegatis à Clemente VIII. ad iudicandum de causis dissolutionis matrimonii inter Sigismundum Batorium, Transilvaniæ Principem, & Mariam Austriacæ; illorumque iudicium auctoritate Apostolicâ fuisse executioni mandatum.

12 Huic argumento respondent plures ex recentioribus Theologis, negando Majorem, existimant enim Summum Pontificem posse in aliquibus, quæ sunt de jure divino & naturali dispensare, non per potestatem quam habeat ex se sed specialiter sibi à Christo communicatam, ob publicum bonum Ecclesiæ; unde licet matrimonium sit divino naturalique jure insolubile, nihilominus (inquiunt) potest Pontifex in matrimonio rato dispensare, propter gravissimas causas animarum salutem concernentes. Addunt, quod causæ rationabiles dispensationis esse possunt, notabiles in qualitate & conditione contrahentium disparitas; sæpe enim nimia affectio excoecat amantem, ipsumque inducit ad contrahendum cum persona, qualitate & conditione longè dispari: probabile periculum futuri scandalis, aut perpetuæ inter ipsos conjuges dissensionis; morbus contagiosus vel incurabilis superveniens, aut qui ante contrahendum matrimonium conjugem latebat.

13 Verum licet hæc responsio & doctrina practicè probabilis sit, tum ob auctoritatem plurium Summorum Pontificum, qui eam ad praxim revocarunt, tum ob suffragium plurium Theologorum & Canonistarum, qui ei adherent, speculativè tamen minus videtur probabilis: Primò, quia si non possit Summus Pontifex, ut fatentur omnes, dispensare in polygamia, sive ante, sive post consummationem matrimonii, multò minus in insolubilitate, cum in insolubilitate magis repugnet naturæ & fini matrimonii, quam polygamia, ut constat ex dictis in tertia probatione conclusionis.

14 Secundo, si credibile sit Christum dare Summo Pontifici potestatem dispensandi in matrimonio rato, quia hoc expedit videtur ad bonum publicum Ecclesiæ, & salutem spirituali animarum, similiter ob eandem rationem dici poterit, Papam à Christo accepisse facultatem dispensandi in matrimonio consummato, quia similiter interdum videtur pertinere ad bonum publicum Ecclesiæ, ut in matrimonio consummato dispenset, puta si aliquis Princeps Christianus duxisset uxorem sterilem, & nisi hæredes regni relinqueret, Princeps aliquis infidelis vel hæreticus deberet ei succedere.

15 Tertiò, plures docti & pii Pontifices, hanc sententiam minus probabilem iudicarunt, ideoque eam ad praxim reducere, & in matrimonio rato dispensare, constanter renuerunt, ut de Innocentio VIII. Adriano VI. & Pio V. refertur: imò Leodesina auctoritas, non inem ante Marinum V. ausum fuisse talem dispensationem concedere, quamvis per quatuordecim sæcula, quam plurimæ hujus dispensationis faciendæ occasiones occurrerint. Varia etiam Pontius lib. 9. cap. 3. adducit veterum Pontificum decreta, quibus declarant, causas illas quas recentiores Theologi

A rationabiles existimant ad dispensandum in matrimonio rato, non esse sufficientes ad dissolvendum tale matrimonium. Hæc ergo responsio prætermittenda, vel in sua probabilitate relicta.

Respondet ad objectionem, concessam Majori, negando Minorem, & ad illius probationem desumptam ex facto Summorum Pontificum, qui in matrimonio rato dispensarunt, dico illos, usos esse opinionem quam probabiliores existimant, eò quod apud Canonistas communis sit, quod in re obscura, & utriusque probabilis sit licuit: quamvis enim non liceat uti opinione minus probabili, in concilio alteriusque existimatur probabilior; si tamè opinio, quæ in se minus probabilis est, alicui videatur probabilior, non peccat, si eam in praxi sequatur, quia tunc excusatur ex ignorantia invincibili; ut in dissertatione de probabilitate, quam post Tractatum de moralitate actuum humanorum adjeccimus, fusè ostensum est.

S. IV.

Corollaria notata digna,

EX dictis colligitur primò, nullum matrimonium neque fidelium neque infidelium, non solum post, sed neque ante carnalem copulam, solo conjugum consensu valide dissolvi posse: matrimonium enim insolubile habet ex præcepto divino & naturali, quod ad omnes homines se extendit, quodque Adam in paradiso accepit posteris omnibus communicandum, Genes. 2. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quæ verba fuisse à Deo dicta, & per Adam posteris promulgata, significavit Christus Matthæi 19. dum hæc verba non in Adam, sed in Deum retulit. Eodè Augustinus lib. 9. super Genesim ad litteram in fine: Hæc verba (inquit) non primi hominis fuisse Scriptura testatur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit, ut bene intelligeremus propter exactionem, quæ præstatur in Adam, hoc enim divinitus tanquam prophetam dicere potuisset. Et Tridentinum sess. 24. initio: Matrimonium perpetuum insolubileque nexum, primo humani generis patens, Divini Spiritus instinctu pronuntiari, cum dicitur: Hæc nunc os ex osibus meis. Uge licet forte aliqui Gentiles, ob invincibilem ignorantiam huius præcepti, excusentur, si matrimonium in casu aliquo urgentissimo, ex mutuo consensu dissolvant, dissolutio tamen ejus non erit valida, cum in ea desit consensus Dei, quem non censetur præbere, nisi in duobus casibus infra referendis, cum nimirum alter conjugum infidelium ad Christianam fidem converteretur, & alter remanens in infidelitate non vult cum eo habitare absque contumelia Creatoris; & cum unus ex conjugibus ante consummationem matrimonii in aliqua Religione approbata professionem emittit. De quo infra.

Colligitur secundò, matrimonium Christianorum magis esse insolubile, quam matrimonium infidelium; nam matrimonium fidelium insolubilitatem habet non solum ex jure nature, sed etiam ex sacra significatione unionis Christi cum Ecclesia, quæ ei convenit quatenus est novæ legis Sacramentum: hanc verò significationem non habet matrimonium infidelium, ut docet D. Thomas in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. Ratio est, quia conjunctio Christi cum Ecclesia, quam matri-

monium significat, non est per similitudinem tantum naturæ, quam Christus habet cum toto genere humano, sed per fidem & charitatem, quæ ut sponsus Ecclesiam ut sponsam diligit, ut ex Pauli discursu colligitur, qui maritos adhortatur ad uxores diligendas, sicut Christus dilexit Ecclesiam; ad hanc autem conjunctionem significandam matrimonium infidelium, utpote fide carens, aptum non est. Ex quo intelliges rationem, ob quam matrimonium consummaturum infidelium, per alterius conjugis ad fidem conversionem, divini possit, non autem fidelium per unius conjugis apostasiam à fide, tametsi nonnunquam majus periculum sit, ne hic per conjugem à fide aversum, quam ille per conjugem in sua infidelitate perseverantem, perventur; quia nimirum matrimonium infidelium non est à Christo assumptum, ad significandam indissolubilem sui cum Ecclesia conjunctionem, sicut matrimonium fidelium.

19 Colligitur tertio, matrimonium in lege nova esse magis indissolubile, quam fuerit in lege naturæ, vel in lege Mosaica. Nam ut docet sanctus Doctor loco citato, matrimonium fidelium ante Christi adventum, non significabat unionem Christi cum Ecclesia, hanc enim significationem accepit in lege Evangelicæ, cum fuit elevatum à Christo ad dignitatem Sacramenti novæ legis, quia congruentius fuit quod eam haberet, post factam Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia conjunctionem; tum etiam, quia ante Christi adventum licitum erat matrimonium unius cum pluribus uxoribus; hoc verò matrimonium aptum non erat ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, quæ est una, & multo minus Verbi cum humanitate assumpta, quæ etiam unica est. Ex quo intelliges, cur in lege Mosaica matrimonium esset solubile per hocellum repudii, ut dicitur articulo sequenti, in lege verò Evangelicæ id non liceat, quia nimirum in lege nova significat unionem Christi cum Ecclesia, quam Deus nunquam repudiabit, juxta illud Olee sponsabo te mihi in sempernum; in lege verò Mosaica, hac significatione carebat.

ARTICULUS II.

An repudium olim fuerit licitum Judæis, & Romanis, aliisque Gentilibus, ita ut repudiando uxores, non peccarent, Deo dispensante in lege naturæ?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & re-feruntur sententia.

20 Suppono primò, quod olim in lege Mosaica permittitur batur Judæis uxores dimittere, & libello repudii uxori dato, aliam ducere: De utero enim 24 sic dicitur: Si acceperit homo uxorem, & non invenit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam infirmitatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Forma verò hujus libelli, seu verba in eo contenta, hæc erant: Ego Rabbi Simeon filius Rabbi Abraham, filij Rabbi David, filij Rabbi Salmon, &c. primâ mensis secundi, anno

à creatiæ mundi &c. hi & in hac civitate, ex animi mei consensu, & sine ulla coactione, repudiavi Rachel siliam Rabbi Mosi filij Rabbi Joseph filij Rabbi Jacob; & dedi illi libellum repudii in manu, chedam abscessionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducitque possit ab omni viro, nec eum quicquam prohibere presumat, juxta constitutiones Moysi, & Israel. Debebat autem hic libellus, non ab ipso repudiante, sed ab aliquo docto scriba componi, idque duplici de causa, primò, ut mora scribendi tardiores maritus redderet ad repudiandum, daretque tempus maturius ea de re deliberandi, extincto interea, vel remisso fievore odii & iracundiæ, ut notat S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. ubi ait, quod talis libellus debebat scriptis mandari, ut in dissidium animi præceptis libelli conscriptione refractus, abstineret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret. Secundo, ut scriberet à quibus exarari debebat, & quibus repudii causa exponenda erat, de ea secundum legem judicaret, & si justa non esset, repudium impedirent, conjugatosque ad pacem & concordiam revocarent. Quia ut perhibent (subdit idem sanctus Doctor) apud Hebræos scribere literas Hebræas nullitas erat, nisi scribis solis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantum profiterentur sapientiam, sed etiam seclarentur. Ad hos igitur quos oportere esse prudentes legis interpretes & justos & fidem diffusiores, lex voluit mittere eum, quem iussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem. Non enim poterat scribi libellus, nisi ab ipsis qui per hanc occasionem & necessitatem, venientem quodammodo in manus suas, bono consilio regerent, atque inter ipsum & uxorem, pacifice agendo dilectionem, concordiamque suaderent.

Porro libellus repudii in lege Mosaica dari non debebat, nisi ex gravi aliqua & justa causa, quæ verbis Deuteronomii supra relatis, generatim nomine fœditatis exprimitur; puta sterilitas, quæ apud Judæos erat ignominiosa, lepra, morbus perpetuo impediens debiti conjugalis redditionem, veneficium, ebrietas, morositas, & rixæ perpetuæ, vel mali mores mulieris, turbantes pacem domesticam, liberisque valde nocentes malo exemplo. Quare non sufficiebat levis causa, ut colligitur ex verbis illis Malachiæ secundo. Cum odio habueris (uxorem tuam) dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Quæ verba ironice dicta esse à Deo, plures Interpretes asserunt, & indicant verba immediate præcedentia: Custodie ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere; unde illis Deus reprehendit Israelitas, eâ solâ de causa odio habentes & repudiantes uxores suas, quòd illæ minus essent pulchræ quàm alienigenæ.

Demum necessè non erat, ut in libello repudii ejus causæ specialiter exprimerentur, sed tantum in generali, ut ostenderetur justum repudium, ut ait S. Thomas hic qu. 67. art. 7. Imò aliqui docent, nequidem in generali causas repudii scribi debuisse, tum quia in forma libelli supra relata non exprimitur; tum etiam, quia hoc ipso quod libellus à scribis exarari debebat, constabat authenticè causam esse justam, utpote talem ab illis judicatam. Plura de forma repudii Judaici videri possunt apud Abulensem in cap. 19. Matth. cap. 52. & sequentibus.

Suppono secundò, quod non solum Judæi, sed etiam plerique Gentilium, olim solebant uxores repudiare, ut alias ducerent, sicut de Medis &

Per-